



Q. D. B. V.

131.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE

1768/1111

MATRIMONIO

SECUNDUM

JUS NATURALE,
CANONICUM & CIVILE,

QUAM

DEO TRIUNO PRÆSIDE,
EX DECRETO

14

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE ARGENTORATENSIS

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
AC PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CAPESSENDI

SOLEMNI ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

PETRUS FELIX ANT. GERARD,
COLMARIENSIS,

SS. THEOLOGIE LICENTIATUS, INSIGNIS ECCLESIE COLLEGIATÆ
AD S. MARIAM TABERNIS CANONICUS,

AD DIEM IX. SEPT. MDCCLXVIII.

H. L. Q. C.

Argentorati, Typis JOH. HENRICI HEITZII Universitatis Typographi.



EMINENTISSIMO & SERENISSIMO
P R I N C I P I
LUDOVICO
CONSTANTINO
S. R. E. CARDINALI
DE ROHAN
EPISCOPO
ET
PRINCIPI ARGENTINENSI
ALSATIÆ LANDGRAVIO
S. R. I. PRINCIPI
REGII ORDINIS S^TI SPIRITUS
COMMENDATORI
&c. &c.



EMINENTISSIME AC SERENISSIME
PRINCEPS!



*n altera jam dissertatio SACRATISSIMO
TUO NOMINI a me inscripta. Qui
haurio adeo pridem TUIS sub auspiciis,
theologicam conscendi cathedram, is idem
nunc TUA porro favente gratia utrius-
que Juris lauream assequi praesumo. Potuissimne omni-
ne secundiori & hanc rem aggredi?*

Et sane aritam longo ordine exponant genealogiam alii, qui in principe suo virtutes nullas commendandas habent; fastuosa neutrquam decipiet cordatum virum ostentatio; nec aurorum, sed propria Principis perquiret merita. Ad putidum usque mendacium adulatorum sint alii, qui indignum colunt, & praedicant patronum: immeritae laudes nauseam probis generabunt, vix fucum facient. Fictitia memorent alii beneficia magnatis hujus, cui nequidem nota dulcis beneficentiae impulsio; totis faucibus exclamabit miser, & odiosum falsi crimen turpi imputabit adulatori.

Ego **CONSTANTINUM** nominavero, & undequaque testes exsurgunt omni exceptione majores, qui longe lateque bonae famae spargunt odorem. En Dominum praedicat subditus clementissimum; artifex remuneratorem justum atque liberatorem. En ex ignoto quodam ac tenebricoso angulo profilit miser, & quae ipsius egestati tam opportune, tam benefice subvenit, osculatur dextram. En quilibet artis peritus, en literatus, en doctus benevolentissimum ad nubes usque extollit, non dicam Maecentem, sed qui cum ipso Augusto de liberalitate contendat.



Hoc TUUM *literarum cultoribus carum* invoco no-
men, SERENISSIME PRINCEPS. *Tampridem*
TUO ditatus munere, ut & in posterum insigni
TUO favore haud indignum me exhibeam, indefesso
semper labore, assiduisque vigiliis studebo. Placet nempe
TIBI in juvenibus discendi cupiditas, placet studii amor,
placeat TIBI quoque, quod supplex rogo, humillimum
ejus obsequium, qui summa, qua decet, veneratione, ad
extremum vitae halitum erit

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI
NOMINIS TUI

devotissimus *Clientis*

PETRUS FELIX ANT. GERARD.





DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE
MATRIMONIO,
SECUNDUM
JUS NATURÆ, CANONICUM ET CIVILE.

PROOEMIUM.

Hominem condere Creatoris fuit, hominis vero humanum genus propagare. Qui primas partes egit Deus, secundas homini commendavit, crescite, inquit, & multiplicamini a). Adfuturum quippe fecerat Adamo Deus simile ipsi, unde expergefactus in hæc verba prorupit protoparens: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem suum &c., & erunt duo in carne una b). *En humani generis seminarium instituitur matrimonium, en Deo ipso benedicente prima celebrata sunt nuptia.*

Ergone ita arte adharebit uxori maritus, ut ad alteram promiscue convolare prohibeatur? itane vagi atque incerti concubitus omnes vetantur? eritne matrimonium conjunctio individuum penitus vita consuetudi-

a) GENES. Cap. 1.

b) GENES. Cap. 2.

nem continens? ô turpissima & recto bonoque adversantia dubia! depravati cordis deliria reprobata innatus ille liciti & illiciti sensus; quo vel solo doceri quisque potest, nefarium esse omnem extra justos nuptias concubitum.

Pestes itaque societatis è republica arceantur homines isti libidinosi, qui dum matrimonium, quod natura approbat, quod orbis exposcit necessitas, cui Deus benedixit, omnino contemnunt, in id unice incumbunt, ut debilioris sexus corrumpant mores, casta matrimonia vitient, & per horrendam confusionem totum reipublica ordinem inturbent, matrimonii quidem commoda proterve ambientes; molestias vero atque onera ei conjuncta procul à se amolientes. Sed cave ne reos confundas cum insontibus, nec propter perversos ac depravatos istorum mores eos condemnes, qui, toti rebus divinis & societatis commodo dediti, vitam sibi cœlibem & à curis domesticis vacuam constituerunt.

De Matrimonio autem acturi investigabimus 1° Originem & essentiam matrimonii; 2° ejusdem requisita exponemus; ac denique 3° impedimenta, quæ matrimonio vel contrahendo, vel contracto obstare possunt, explanabimus: in singulis hisce ita versaturi, ut ad Jus primo Naturale; dein ad Jus Civile Romanorum, ac demum ad hodiernum atque Canonicum Jus attendamus.





CAPUT PRIMUM.
DE
ORIGINE AC ESSENTIA
MATRIMONII

§. I.



Matrimonium a natura originem habet, quis hoc nescit? quin ipsa socialitas, quam tanquam primum legis naturalis fundamentum tradit PUFENDORFIUS a), ad id hominem inducere debuit, ut sibi sociam vitæ individuam adsumeret, unde mutuum in communibus necessitatibus præsidium, solamen in adversis, comes in prosperis præsto semper adesset, unde dilectæ ac ingenuæ prolis Educatricem sibi adscisceret studiosissimam simul & pervigilem. Socialitas ergo origo matrimonii.

a) L. 1. cap. 3. §. 9. de Off. hom. & civis.

§. II.

Sed quidni matrimonium etiam dici possit societatis origo? Homines nempe dispersos ac vagos cogita, quantum putas, delectabit ejusdem speciei animalis occursum? quanto magis ardens illa sexuum inter se proclivitas homines consociabit? Hanc proclivitatem unum è præcipuis

B

focietatis fundamentis dicere non dubitat DE MONTESQUIEU *b)*, quid ergo vetat focietatis effectum simul & principium dici matrimonium.

b) *Esprit des Loix* Lib. I. Cap. 2.

§. III.

De variis ejus appellationibus pauca præfari liceat. *Matrimonii* nempe etymologia optime deduci videtur a præclaro & nobili matris munio circa res domesticas. *Conjugium* ab arcto illo vinculo, quo veluti communi jugo connectuntur Conjuges, originem ducit. A Ritibus demum Romanorum provenit *Nuptiarum* & *Connubii* appellatio. Virgo enim ducenda præter zonam, qua præcingebatur, flammæ etiam pudoris ergo obnubebatur: quod quidem in usu christianis diutissime fuit, apud quos conjuges benedictionem accepturi velamine obtegebantur. Exinde apparet, nuptias Romanis magis solemnem apparatus, & externam matrimonii pompam significasse, quam ipsum matrimonium; nos vero promiscue vocabula hæc in sequentibus usurpabimus.

§. IV.

Jam quæ sit natura matrimonii expendamus. Hæc in definitione, si adæquata sit, tota exprimi debet. Sed quid censendum de ea HUG. GROTII *c)*. *Matrimonium est talis cohabitatio maris cum femina, quæ feminam constituat quasi sub oculis, & custodiæ maris.* Aliquid in hac definitione desiderari nemo non videt. Fac enim totum discrimen conjunctionis maritalis, a qualibet alia in eo consistere, ut scemina sit *sub oculis & custodiæ maris*, an non pari modo *d)* filia, pupilla, serva, essent in conjugio patris, tutoris, domini, quia sunt *sub ipsorum oculis & custodiæ*? Unde etiam GUIL. GROTIUS huic definitioni adjecit, *ad Sobolis procreationem & mutuam adjutorium.* Nobis matrimo-



nium est *justa ac individua conjunctio maris & feminae ad
sobolis procreationem & mutuam adiutorium inita.*

c) de *Jure Belli & Pacis* Lib. 2. d) de *Princip. Juris nat.* Cap. 9.
Cap. 5. in not. ad §. 5.

§. V.

Paulo aliter definit matrimonium Jus civile. In Insti-
tutionibus illud dicitur e) *viri & mulieris conjunctio indi-
viduam vitae consuetudinem continens.* In Digestis f) *con-
junctio maris & femina, consortium omnis vitae, divini, &
humani juris communicatio.* Juxta Jus Canonicum vero g)
Matrimonium est *sanctissimum legis novae Sacramentum laicis
proprium, quo vir & mulier secundum praecipua Ecclesiae
conjunguntur.*

e) §. 1. *Inst. de patria potest.* g) *Can. sicut 2. Causa 32. q. 2.*
f) *L. 1. ff. de ritu nupt.*

§. VI.

Quamvis autem, ut modo vidimus, variae sint juxta
varia Jura definitiones matrimonii, natura tamen ejus in
omni Jure, tum naturali, tum civili, tum divino positivo,
est eadem. Rerum enim essentias immutabiles esse prae-
dicat omnis vel tantisper Logicam edoctus. Si ergo investi-
gaverimus, quae, juxta Jus Naturae, matrimonio essentia-
lia sunt, ipsam matrimonii essentiam habebimus. Nec di-
cas, saepissime leges positivas, five divinas, five humanas,
ea irritare conjugia, quae sustinet lex naturalis. Quis enim
ignorat, licere omnino Legislatori, ad reipublicae utilita-
tem & bonum ordinem servandum, nonnulla vetare, quae
lege naturali licita sunt, quaedam vero praecipere, imo sub
poena injungere, quae sola natura libertati singulorum re-
liquit.

§. VII.

Sed naturam audiamus loquentem. Certe animi aures

occluserit necesse est, qui consensum matrimonio essentialem esse negaverit. Ecquis existimare ausit, eum actum, quo vir sibi sociam, & uxor herum adsciscit individuum, vi aut metu extorqueri posse, aut extortum validum esse. Certe si in quibusvis aliis negotiis, nusquam tamen libertas magis necessaria est, quam in matrimonio, quo omnia sua bona, & cum iis semetipsum in communionem conjugis conjux tradit. Unde ex consensu petit GROTIUS *h)* originem consociationis conjugalis, & PUFENDORFIUS *i)* inter eos, qui matrimonium initari sunt, pactum intervenire debere asserit. Jam vero nullum pactum absque paciscentium consensu intelligitur. Quod ergo vi aut metu contractum matrimonium, non magis dici potest matrimonium, quam injusta & violenta rei alienæ possessio dici potest dominium.

h) de Jure Belli & Pacis Lib. 2. i) Lib. 2. Cap. 2. de Off. hom. & civis.

§. VIII.

Ulterius progreditur Jus civile dum statuit, quod consensus solus faciat nuptias. Ita diferte ULPIANUS *l) nuptias, inquit, non concubitus, sed consensus facit.* Hinc concubitus, domum deductio, ad implementum, instrumenta dotalia ad signum duntaxat, non ad substantiam nuptiarum Jure Civili pertinent. Jus Canonicum quoque *m)* distinguit inter matrimonium *ratum*, quod solo consensu ininitum est, & *consummatum*, cui etiam copula accessit.

l) L. 3. ff. de Reg. Jur.

m) Can. 7. & 8. X. de Divortio.

§. IX.

Quæri hic posset, an nuptiæ sint contractus? Et quidem si earundem naturam intrinsecam, si vinculum & ef-



fectum obligandi potissimum consideramus, non immerito contractibus, & quidem consensualibus videntur posse adscribi, cum ex solo consensu suam consequantur firmitatem. Cyr vero nullibi in toto Jure contractibus annumerantur nuptiæ? Doctorum ratio est, non adesse in matrimonio rem commercio habilem, quod tamen omnino de essentia contractus esse contendunt ex §. 2. *Inst. de inut. Stipul.* & ex *Lege 34. §. 1. & 2. ff. de contrab. empt.* Verum neuter hic textus ad rem quidpiam facere videtur. Ex textu enim *Inst.* illud tantum sequitur, inutilem eam esse stipulationem, quæ fit ex bonis tertii alicujus non stipulantis. Ex citata è *Digestis* lege verò sequitur, matrimonium dici non posse emptionis & venditionis contractum, quia in eo non est res commercio habilis. Sed an in omnibus contractibus adeo necesse est, ut adit res commercio habilis; annon stipulari, annon contrahere licet de negotiis, de operis, de curis, quæ neutiquam sunt res, certo pretio æstimabiles. Certe sponsalia per modum stipulationis celebrantur, sed stipulatio est contractus, quidni & nuptiæ, quas sponsalia præcedunt, pro contractu haberi poterant?

§. X.

Contrahere autem matrimonium non possunt, nisi qui sunt habiles. Habiles autem censendi sunt, quicumque matrimonii finibus implendis idonei sunt. Alius primarius est finis, sòbolis nempe procreatio, secundarius alius, mutuum scilicet adjutorium, & prolis educatio. Physica generandi virtute potiti Jure civili *n*) non censentur masculi & foeminae impuberes; ast naturam coarctasse videtur Legislator, dum masculorum pubertati *o*) decimum quartum, foeminarum vero viripotentia duodecimum præstituit annum. Quis enim nescit, quam varie in suis operibus lu-

dat natura? Magis hanc sequi videtur Jus Canonicum *p)*, magis hic ad potentiam generandi respiciens, quam ad ætatem. Quantumvis autem matrimonium in iis approbat lex naturalis, qui sunt generandi capaces, tantum in iis damnat, qui generationi non sunt idonei. Quid ergo censendum de iis populis, apud quos Eunuchi libere uxores ducunt; ludibrii instar matrimonium habere, uberrimum propagationis fontem imminuere, in naturam demum graviter peccare, qui talia finunt, Legislatores dubium non est.

n) princ. Inst. de Nupt. § L. 4. *p)* Cap. 3. X. de Desponsat. in ff. eod.

o) pr. Inst. Quib. mod. tut. finitur.

§. XI.

In eadem classe cum istis poni eos, quibus non omnis adempta est spes sobolem procreandi, iniquum foret. Indulgetur itaque matrimonium senibus *q)*, quibus Lege Julia & Papia illud interdictum fuerat: quod politica ratione constituerat Augustus in eos, qui tamdiu contra legum præcepta nuptias refugerant, & ne iisdem privilegiis *r)* utilia æque ac inutilia gauderent matrimonia; verum hoc ex pietate rursus abolevit Justinianus, ne quis esset in toto imperio, qui conjugali privaretur societate. Indulgetur etiam matrimonium Spadonibus, & omnibus, qui sub hoc genere continentur *s)*,

q) L. 27. Cod. b. t.

r) Esprit des Loix L. 23. Cap. 2. Comme on avoit donné de grands privilèges aux gens mariés, la loi

ne vouloit point, qu'il y eut des mariages inutiles.

s) L. 128. ff. de V. S. & L. 6. §. 2. L. 7. ff. de Edil. Edict.

§. XII.

An vero & hoc ad essentiam matrimonii pertineat, ut sit perpetuum, nec valida ratione semel contractum dissol-



vi queat? Quæstio est multis implicata difficultatibus; sed videamus primum, quid Jus Naturæ circa divortia statuat. Matrimonium juxta Jus Naturæ definivimus *conjunctionem individuum maris & feminae*; nec immerito; natura enim tam arcta conjunctionis ostendit, *matrimonium debere esse perpetuum, & non nisi alterutrius conjugum morte finendum t*). Certe si quovis obtentu lex naturalis divortium permetteret, viam inconsulto aperiret ad vagam libidinem, generis humani propagationi inimicissimam, & facile inde evenire posset id, quod apud Romanos aliquando contigit, ut matronæ non jam ex consulibus, sed ex maritis, quos ducebant, annos numerarent *u*); ex hac quippe tam arcta amicitiae institutione, qua præcepit, *ut vir parentis familiam relinquere debeat, qua novam cum uxore familiam constituat, satis apparet, gratissimum ipsi esse, ut perpetua sit ea conjunctio*, ut ait GROTIUS *l. c. l. 2. Cap. 2.*

1) PUFEND. de Off. hom. & Vela domus & adhuc virides in limine ramos;
civis l. 2. Cap. 2. §. 6.

2) SENECA de Benef. Lib. 3. Sic crevit numerus, sic sunt octo mariti,
 & JUVENAL. Satyr. 6.

Ornatas paulo ante fores pendentes Quinque per autumnos titulo res linquit,
digna sepulchri.

§. XIII.

Ast ex his nondum evincitur, *si solum Jus Naturæ species, nulla de causa fœdus conjugale solvi posse*. Vidimus enim superius, Matrimonium, secundum Jus Naturæ esse speciem conventionis, seu pacti; unde, si ab alterutra parte principalia hujus pacti matrimonialis capita fuerint violata, v. g. per adulterium aut malitiosam desertionem, tunc nec altera pars eidem amplius stare tenetur, si solum Jus Naturæ consulas *x*). Quis enim matrimonii finis? nonne proles, & quidem quæ mea sit; conjux autem per malitiosam desertionem, vel obstinatam officii conjugalis denegationem spem adimit prolem habendi, vel per adulte-



ritum familiæ infert prolem alienam; annon hæc justam præbere debent causam solvendi matrimonium?

x) PUFENDORF *de Jure & de Offic. hom. & civis* L. 2. Cap. Nat. & Gent. Lib. 6. Cap. 1. §. 2. 2. §. 6.

§. XIV.

Hæc de divortio secundum Jus Naturæ; videamus nunc mores & instituta Romanorum. Antiquas Romanorum de divortio leges prudentissimas fuisse ex ejusdem infrequentia patet. Primum enim Carvilius Rugam circa A. U. C. 520. ob uxoris sterilitatem, qui nequidem casus in lege expressus fuerat, divortium fecisse notum est y). Prima turpis illius subsequentium ævorum pravitatis labes! Progressum mali mirare. *Divortium lege Romuli viris, non vero mulieribus permissum fuit, si mulier veneficio circa prolem usa fuisset, si inscio marito vinum bibisset, eaque causa in amicorum consilio examinari solebat z).* Mox censores quo plures reipublicæ cives nascerentur, etiam sterilitatem addiderunt, Carviliumque induxerunt, ut propterea uxorem dimitteret. Verum tanta posthæc divortii fuit facilitas apud Romanos, ut cuilibet volenti causa sufficiens suppetierit ad divortium; e. g. si ruga apparebat in facie, si tussi nimia laborabat, si sæpius nasum emungebat uxor, hæc statim audiebatur formula: *Res tuas tibi habeto; collige sarcinulas, exi, vade foras! a)*

Hanc divortiorum pruriginem paulisper correxerunt Imp. Theodosius & Valentinianus b), & magis adhuc Justinianus Imp. c), ut tamen nimium favorem iis concesserint, qui ex justa etiam causa à se invicem divertebant. Adulteræ enim dotem maritus hoc Jure lucratur, si liberi non extant d).

y) VALER. MAX. L. II. c. 1. n. 4.
 z) HEINECC. in *Append. ad L. I. Antiq. Jur. Rom.* §. 33.
 a) JUVEN. *Sat.* 6. L. 2. §. 1. ff. *de Divort. & Repud.*
 b) in L. 8. *Cod. de Divort. & Repud.*
 c) *Nov.* 117. Cap. 8. 9.
 d) *loc. cit.*

§. XV.

Juxta legem vero Christi *Matth. XIX. Quod Deus conjunxit, homo ne separet.* statuunt Catholici, adeo indissolubile esse matrimonium, ut vinculum copula carnali & Sacramenti virtute firmatum nullo modo rumpi queat. Hinc Jus Canonicum omnia divortia damnavit, & Concilii Trid. Patres, prædecessorum vestigiis inhærentes, *Sess. 24. Can. 7. de Matrim.* expresse definierunt, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi: cui decisioni obtemperant Respublicæ omnes Catholicæ. Hinc in Gallia nec propter adulterium, nec propter malitiosam desertionem, nec ob quamlibet aliam causam solvi potest matrimonium; qua quidem totius Regni constitutione tenentur etiam Protestantæ in eo degentes; ideoque Confessorii eorum Ecclesiasticis specialiter interdictum, vinculum conjugale solvere, vel quolibet modo offendere e).

e) *Recueil des Ordonnances d'Alsace* pag. 684. & suiv.

CAPUT SECUNDUM.

DE

PRÆREQUISITIS MATRIMONII.

§. XVI.

Sponsalia, quæ matrimonium præcedere solent, sunt *mentio & repromissio futurarum nuptiarum.* Juris Civilis inventum ignorat lex naturæ; ignorant populi, qui hanc solum ducem sequuntur. Romanis vero in usu cœperunt esse Sponsalia, quando fides Romana in punicam

C



degenerare cœpit; tunc enim ad stipulationes recurrendum fuit, ne quis fidem datam impune violare posset. Qui ergo uxorem ducturus erat, ab eo, in cuius potestate illa erat, eam in matrimonium sibi datum iri stipulabatur, & alter si conveniret, id spondebat, qui contractus mutuis Sponsalia erant; dum autem de iis ageretur, Sponsus *speratus*, sponsa vero *sperata* dicebantur *f*). Solo tamen consensu Jure quoque Romano Sponsalia perficiuntur *g*), ut & hodie. Quicumque ergo suum declarare potest consensum, is aptus est Sponsalibus contrahendis, dummodo alias habilis sit ad matrimonium ineundum; sic itaque *h*) surdus & mutus simul, si claris signis possit exprimere mentem, nequam ab iis arcendus. Sic per epistolam, nutum, aliave consensus indicia certa recte contrahi dicuntur Sponsalia *i*).

f) HEINECCIUS *Antiquit. Jur. Rom.* L. I. Tit. X.

h) C. 25. X. de *Sponsal.*

g) L. 4. ff. de *Sponsalibus*.

i) L. 4. & ult. ff. de *Sponsal.*

S. XVII.

Ita quidem nudus consensus sufficit, si spectes vim intrinsecam obligandi. Verum ut effectus civiles & externam vim producant Sponsalia, debent esse publica; clandestina pro nullis habentur. Publica autem dicuntur ea, quæ accedente parentum consensu, & præsentibus ad minimum duobus testibus, contrahuntur; clandestina vero ea, ubi ille consensus deficit, vel testium præsentia. Porro Sponsalia Jure Canonico distinguuntur in Sponsalia de præsentibus & de futuro. Hæc sola proprie dici debere Sponsalia, apud omnes in confesso est; illa vero respectu vinculi indissolubilis, quod inducunt, revera matrimonium sunt non tantum Jure Civili *k*), sed etiam Canonico *l*). Ejusmodi Sponsalia a legitimis nuptiis vix discrepantia, olim instar veri matrimonii in usu erant; verum in Gallia



Sanctione Blesensi omnino prohibita m). Ita etiam Concil. Trident. ea sola sustinet matrimonia, quæ coram proprio Parocho aut Presbytero a Parocho ad id commissio, ac præsentibus testibus fuerint celebrata n).

k) arg. L. 30. de R. J.

l) arg. Can. 25. X. de Sponsal.

Et Can. 1. C. 27. qu. 2.

m) Art. 44. *Defendons à tout Notaire sous peine de punition eor-*

porelle, de passer ou recevoir aucune promesse de mariage par paroles de présent

n) Sess. 24. Cap. 1. de Reform. Matrim.

§. XVIII.

Sponsalia dividuntur ulterius in pura, quæ puro & simplici consensu contrahuntur, & conditionata, quæ sub certa conditione, donec illa extiterit, suspenduntur. Conditiones aliæ sunt possibiles, impossibiles aliæ, aliæ honestæ, aliæ turpes, sive quia in genere bonis moribus repugnant, sive quia in specie legibus matrimonialibus advertantur, circa quas conditions hæc servatur regula: *Quotiescunque conditio in se inhonesta non est, & eam impleri alterius interest, toties suspendit sponsalia o).* Conditio vero, quæ cum ipsa matrimonii substantia vel natura pugnat, qualis est, quæcunque opponitur alicui fini primario matrimonii, Sponsalia irritat & annullat p); non item conditio turpis in genere, quæ in favorem matrimonii pro non adjecta habetur: conditio vero naturâ impossibilis, nugax potius quam seria, ac proinde nulla habetur.

o) C. 3. X. de Condit. app.

p) Cap. fin. X. eod.

§. XIX.

Renunciare quempiam posse favori suo, id est conditioni in sui favorem adjectæ, quis dubitat? Quæritur tamen, an & post eventum conditionis vel si Sponsalia sint pura, adhuc tamen solvi ea possint? & certe Sponsalia mutuam producunt obligationem matrimonii ineundi; si

des ad hoc datur, ad id obstringuntur contrahentes; sed an ita arctè, ut Judex sponsum vel sponfam ad coeundum cogere possit? Potest quidem Judex Ecclesiasticus sponsum vel sponfam absque justa causa renitentem admonere, ut promissum exequatur interpellare, & si nihilominus adimplere recuset, Sponsalia demum resolvere, & partes remittere ad Judicem competentem, pro damnis & eo, quod interest, sed nullo modo eos cogere; *coacta enim matrimonia tristes ac infelices solent habere exitus q).*

q) Cap. 17. X. de Sponsalib.

§. XX.

Qui vero solvendi Sponsalia justam causam adlegare possunt, iis sine dubio recedere permittitur. In eum, qui bina Sponsalia contrahit, poenam infamiae statuit Praetor r); pruriginem quidem contrahendi coercens, sed quænam hoc in casu valida sint Sponsalia, quænam legitima non explicans. Hæc regula obtinet: Quæcunque Sponsalia vinculum semel operata sunt, ea sola valida sunt, & matrimonii spem fundant. Vinculum autem firmissimum produciunt pura simul & publica. Hinc publica præferuntur clandestinis, pura conditionatis, publica priora posteribus publicis &c. uno verbo, quæcunque Sponsalia perfectiora sunt, ea præferuntur minus perfectis, licet temporis prioritatem pollentibus.

r) L. 13. §. 1. & seqq. ff. de bis, qui notant. infamia.

§. XXI.

Sponsalia usu tantum & moribus probantur, non Juris aliqua necessitate, sive Jus Civile spectes, sive Canonicum; secus dicendum de bannorum proclamatione, quæ s) nihil aliud est, quam solemnis denunciatio, inter quos matrimonium celebrandum sit. Cautio prudentissima ad fugandam clandestinam conjugia, præsertim vero eorum, qui in statu



damnationis permanentes, dum priorem uxorem, cum qua
 clam contraxerunt, relinquunt, cum alia palam contrabunt,
 & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Institutum hoc
 prudentissimum, cujus nullum in Jure Civili reperire licet
 vestigium, ex Gallia ortum habet *t*). ubi illud legibus re-
 gni jam vigeat, antequam illud generali lege in Jure Ca-
 nonico præceptum esset *u*). Requirit autem Concil. Tri-
 dent., ut triplex à contrahentium Parocho, tribus continuis
 diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnias publica
 fieri debeat denunciatio *x*). Prudentiæ autem & judicio Or-
 dinarii relinquit S. Synodus facultatem dispensandi. Cæ-
 terum eundem habet effectum hæc proclamatio quam edi-
 ctalis citatio: ut scilicet, si quis adsit, qui possit contradi-
 cere matrimonii consummationi, mature veniat, & im-
 pedimenta alleget, sin minus in posterum taceat. Banno-
 rum utilitas præterea in eo maxime elucet, quod sic fieri
 ferme non possit, ut absque parentum consensu eorum ce-
 lebrentur nuptiæ, qui hoc indigent; qua autem autori-
 tate relatè ad matrimonium in liberos utantur parentes,
 hic discutiendum.

s) Concil. Trid. Sess. 24. Cap. 1. *u*) Cap. 7. X. de Claudest. De-
 de Reformat. Matrim. spons. & Cap. 17. X. de Sponsal.
t) FRANÇOIS DE BOUTARIC *x*) Sess. 24. Cap. 1. X. de Re-
 Explic. de l'Ord. de Blois Art. 40. form. Matrim.

§. XXII.

Quod Jus Naturale attinet, facilis est decisio. In li-
 beris nempe tria distinguenda sunt tempora *y*). Primum
 tempus imperfecti judicii, dum abest facultas eligendi;
 secundum tempus perfecti judicii, sed dum filius adhuc
 pars est familiæ parentum; tertium postquam ex eadem
 familia excessit. In primo tempore omnes liberorum actio-
 nes sub dominio sunt parentum; æquum est enim, ut,
 qui se regere non potest, aliunde regatur; cui autem alii



regimen liberorum competeret potius, quam parentibus? In secundo tempore non item, quo jam iudicium ætate maturuit; tunc filius in iis omnibus, quæ statum familiæ paternæ non concernunt, naturali potitur libertate, & moralem facultatem habet agendi, modo tamen semper studeat parentibus placere. Ex hoc placendi studio fuit, omnino conveniens esse liberorum officio, ut parentum consensum ad nuptias impetrent; cum enim in omnibus rebus liberi reverentiam debeant parentibus 2), certe præcipue eam debent in hoc negotio, quod ad totam familiam pertinet. Gratitude ergo non solum & reverentiam filialem læderet is, qui inconsultis parentibus matrimonium iniret, sed etiam non leviter familiæ statum turbaret.

1) GROTIUS *de Jure Belli* § 2) PUFEND. *de Jure Nat. & G. Pacis* Lib. 2. Cap. 5. Lib. 6. Cap. 2. §. 14.

§. XXIII.

Sed an ideo nullum Lege naturali, an irritum foret matrimonium ob defectum consensus paterni? Certe non statim ideo quid nullum, quia prohibitum; nec enim ideo irrita est donatio rei alicujus à quocunque domino facta, quia contra parsimonix regulas facta, præsertim cum sibi sæpe melius eligant conjugem liberi, quam ipsimet elegerent parentes. Ejusmodi matrimonium à filio sine consensu parentis contractum adhuc Jure Nat. valere, vel ex hoc patet, quod qui uxorem duxit, & maturæ esse censetur ætatis, ut imperfectio Judicii ei objici non possit, & plerumque e familia paterna excedit, imo excedere necesse habet, si invito parentibus matrimonium contraxit. Quis enim parens libenter ferret exosam sibi nurum, una secum sub eodem tecto habitare.

§. XXIV.

Filium, qui invito parente absque justis rationibus uxo-



rēm sibi conjunxit, a patre propterea puniri posse, dubium non est. Potest ergo expelli domo paterna, potest exheredari; optimum sane medium ad ejusmodi nuptias præpediendas. Legislatores nonnulli in locum parentum hic a) substituerunt quidem magistratum, ut ejus consensu inirentur nuptiæ; rati posse quandoque boni publici amorem adæquare, imo antecellere amorem paternum. Verum alii rectius jus paternum intactum servarunt. Patris certe est de liberorum nuptiis satagere; ejus hac in re prudentia quamlibet aliam semper superabit, nec tamen iidem irritarunt nuptias absque parentum consensu initas. Alii denique non solum effectus civiles denegaverunt, sed plane nulla, irrita, & quasi nunquam contracta habuere matrimonia, quibus parentum deerat consensus.

a) Dans les petites Républiques, peut être tel qu'il surpasse tout autre amour. Mais dans les institutions singulières il peut y avoir des loix, qui donnent aux magistrats une inspection sur les mariages des enfans des citoyens, que la nature avoit déjà donnée aux peuples. L'amour du bien public y peut être tel qu'il surpasse tout autre amour. Mais dans les institutions ordinaires c'est aux peres à aimer leurs enfans. Leur prudence à cet égard sera toujours au dessus de toute autre prudence. Esprit des Loix L. 23. Cap. 7.

§. XXV.

Ita apud Romanos, qui amplissimam & vere dominicam in liberos suos habebant potestatem, nuptiæ sine consensu patris à liberis contractæ, ipso Jure erant nullæ, & eo usque necessarius erat patris consensus, ut dubitaretur b), an furiosi, cujus haberi nequibat consensus, filia nubere, aut furiosi filius uxorem ducere possit c)? Fundamentum hujus Juris partim in vinculo patriæ potestatis, ob quod liberi de se suoque statu disponere non poterant, partim in eo situm erat, ne parenti invito suus hæres agnosceretur. Cum autem neutra hæc ratio matrem tangeret, quippe quæ nec liberos in potestate habebat d), nec etiam antiquitus Jure gaudebat testamentorum, matris consen-



fus Jure Civili non erat necessarius. Ita nec pater, qui filium emancipavit, & è potestate sua dimisit, dissentiendo e) matrimonium ejus impedire poterat. Filia tamen viginti quinque annis minor, etsi vidua, ob sexus infirmitatem, & patris, qui emancipavit, & hujus defectu matris atque propinquorum indigebat consensu ad matrimonium incundum f). Quantum hæc omnes Leges à Lege Nat. erraverint, quis non videt g)? Etenim naturaliter matri æque ac patri reverentiam debent liberi, ac proinde & istius consensum pro licitis impetrare nuptiis. Nec hoc Jure ideo pater definit esse pater, quia filium emancipavit. Cætera taceo discrimina, quæ Jure Nat. incognita, in solo Civili fundamentum habent.

b) pr. § 12. *Inst. de Nupt.*

f) L. 18. & L. 20. *Cod. eod.*

c) L. 25. *Cod. de Nuptiis.*

g) GROTIUS *de Jure Belli & Pacis* L. 2. Cap. 5. §. 10.

d) §. 10. *Inst. de Adopt.*

e) L. 25. *Cod. b. s.*

§. XXVI.

Jus Canonicum autem, cum matrimonium tanquam divinam potius institutionem, quam politicam rem considerat, parentum quidem consensum omnino desiderat h), sed non ideo hoc defectu laborantes irritat nuptias: cum hoc Jure solus eorum consensus ad matrimonium sufficere dicatur i), de quorum conjunctione quæritur. Immo Concil. Trid. k) eos anathemate notat, qui affirmant, *matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse.* In Gallia tamen variis Ordinationibus regis cautum est, sub pœna nullitatis saltem quoad effectus civiles & exheredationis, ne liberi minores utriusque sexus, sive emancipati, sive non, absque impetrato patris & matris, imo & tutorum curatorumve consensu, nuptias contrahant l). Nec hac in causa censentur majores, nisi masculi trigessimum,



gesimum, foeminae vero vigesimum quintum compleverunt annum. Ratione horum cessat poena nullitatis, imo & exhaereditationis, si ter repetita interpellatione, gallice *par trois Sommations respectueuses*, consensum parentum requisiverant.

b) C. 1. XXX. Qu. 5.

1) Ordonnance de Blois Art. 40.

c) C. 2. XXVII. Qu. 2. & C. 23. Ordonn. de Louis XIII. de 1619.

X. de Sponsal.

Et l'Edit du mois de Mars 1697.

k) Sess. 24. Cap. 1. de Reform. Matrim.

§. XXVII.

Præmissis Sponsalibus, bannorum publicatione, & parentum consensu, ut legitime contrahatur matrimonium, si contractum mere civilem attendas, nihil amplius requiritur, quam ut præsentibus testibus sibi mutuo fidem conjugalem dent jungendi. Verum cum Christiani ad institutionem divinam matrimonii potissimum attendant, adhiberi præterea debet Benedictio Sacerdotalis. Hæc in Gallia m), quæ Juris Canonici dispositionem n) sequitur, adeo essentialis est, ut absque ea non contrahatur legitimum matrimonium; & certè vix est gens aliqua, exteriorum religionis cultum habens, apud quam non sint ritus instituti ad sanctificandum matrimonium. Jure tamen Civ. nullibi Benedictiois hujus fit mentio, nisi demum *Novella* 74. & 89.

m) Edit qui règle les formalités à sur les formalités à observer dans observer dans la célébrations du mariage. Récueil d'Ordonn. &c. d'Alface pag. 315. Et la Déclaration n) C. 1. & 2. C. XXX. Qu. 5.



CAPUT TERTIUM.
DE
IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

§. XXVIII.

Contrahere licite matrimonium potest quilibet cum qualibet, si atas, corporisque constitutio matrimonio habilis adsit, nisi lex positiva, vel impedimentum aliquod morale obstet o). A duplici ergo fonte provenire potest quodlibet impedimentum matrimonio obstans, tum à Lege Nat., tum à positiva. Lex iterum positiva in duas dividitur species; alia quippe Ecclesiastica, Civilis alia. Utraque Jurisdictione p) suos in matrimonii causis definiendis præfixos habet terminos. Quæ contractum mere civilem spectant, definit Princeps; ea vero, quæ divinam ejus institutionem respiciunt, ad potestatem ecclesiasticam pertinent. Sicut ergo insipienter ageret, qui omnium causarum matrimonialium cognitionem potestati civili auferens, eam ad Ecclesiasticam transferret, ita nec prudentius totam in res matrimoniales potestatem Ecclesiæ quis adimeret.

o) PUFEND. *de Off. hom. & civ.* Dni. DE PONTCHARTRAIN. *vid. Lib. 2. Cap. 2. §. 7.* le Recueil d'Ordonnances d'Alsace
p) Præcipue huic pertinet *Epistola* pag. 108.

§. XXIX.

Sed impedimenta videamus moralia. *Moraliter quis impeditur, Conjugem sibi adsciscere, qui quæve alteri conjugii junctus, junctave est;* alias enim incideret in crimen Polygamia, cujus duæ sunt species, una Polygynia, qua quis duas simul pluresve uxores habet; alia Polyandria, qua

una mulier pluribus simul viris cohabitavit. Nefandam hanc & turpissimam conjunctionem esse, atque Juri Nat. manifeste repugnare, citò animadvertet quilibet vel paulisper principiis naturalibus imbutus. Si enim admittitur uxorum communio, proles dabitur absque patre, uxor absque marito, absque fide ulla, absque ulla dilectione carnalis copula. Procul erit matrimonialis temperantia, procul conjugalis fides; ubi autem hæc non sunt, vaga beluarum instar libido, perpetuus fane jurgiorum fomes ab imis subvertet rempublicam fundamentis.

§. XXX.

Polygyniam vero à natura omnino prohiberi, assertio temeraria videtur; cum nullo modo in Patriarchis culpata fuerit. Abraham *q*), Jacob *r*), alique passim plures *s*) sibi adscivere uxores. Nusquam in Lege Mosaica prohibita imo quodammodo permissa videtur *t*). Qui autem Deus, qui malum approbare nequit in sanctissimis Viris, admisisset usum naturæ contrarium? Difficultas hæc omnino insolubilis est iis, qui contendunt, polygyniam Juri Naturæ adversari. Et vero quisnam finis primarius matrimonii? nonne, ut jam diximus, sobolis procreatio? hunc vero finem obtineri posse per polygyniam evidens est. Secundarius vero matrimonii finis est mutuam adiutorium & proles educatio. Huic non æque convenit polygynia. Qui enim muliebris indolis habet notitiam, facile perspiciet, quam parum plures in eadem familia consonent uxores. Quod spectat ad proles educationem, attendatur ad indolem novercarum; quilibet enim infans in co- uxore matris suæ novercam habet. Pater vero libidine potius quam paterno amore ductus, omnes affectus in uxores exferit, liberorum immemor. Verum enimvero licet dici nequeat, absolutè prohibitam esse Jure Nat. polygyniam, an tamen ideo recipienda? nequaquam. Audiatur Dn. DE MON-



TESQUIEU: *A regarder la polygamie en général, elle n'est point utile au genre humain, ni à aucun des deux sexes, soit à celui qui abuse, soit à celui dont on abuse. Elle n'est pas non plus utile aux enfants, & un de ses grands inconvénients est, que le pere & la mere ne peuvent avoir la même affection pour leurs enfants. Un pere ne peut pas aimer vingt enfants comme une mere en aime deux, la pluralité des femmes, qui le diroit! mene à cet amour, que la nature desavoue. C'est qu'une dissolution en amene toujours une autre. Lorsqu'on déposa le Sultan Achmet, les relations disoient, que le peuple ayant pillé la maison du Chyaïa, on n'y avoit pas trouvé une seule femme. On nous dit, qu'à Alger on est parvenu à ce point, qu'on n'en a point du tout dans la plupart des Serrails. Il y a plus, la possession de beaucoup de femmes, ne prévient pas toujours les desirs pour celle d'un autre. Il en est de la luxure comme de l'avarice, elle augmente sa soif par l'acquisition des trésors. Esprit des Loix L. 16. Cap. 16.*

q) GENES. Cap. 16.

r) GENES. 29. & 30.

s) REGUM Cap. 2. L. 2. de Da-

vide & 2 PARALIPOM. Cap. 24
de Joa.

t) DEUTER. Cap. 21. v. 16.

§. XXXI.

Hinc & sapientissimus Legislator noster Dn. Christus, generis humani bono consulens, positiva lege omnem polygamiam damnavit, ad priorem nempe Dei Creatoris institutionem, qua duo tantum sunt in carne una, Phariseos revocans: *Moses, inquit, ad duritiam cordis vestri permittit vobis dimittere uxores, ab initio autem non fuit sic u.* Hinc Christianorum dogma est divinæ institutioni adversari quamcunque polygamiam. Merito igitur ita pronuntiavit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit x.*

*) MATTH. 19.

*) Sess. 24. Can. 2. de Matrim.

§. XXXII.

Romanos constanter olim monogamos fuisse adeo notum est, ut hic necesse non sit ad Scriptorum autoritates recurrere. *Duas, inquit JUSTINIANUS Imp., uxores eodem tempore habere non licet y), nec eadem duobus nupta esse potest.* Quod quidem utrumque LL. prohibetur sub poena infamiae & stupri z), imo hoc ipsis interdicitur Judaeis a), quibus sua lege id permittebatur Poenam plane gladii apud Germanos polygamis minatur *Const. Crim. Carolina b)*, ac deterius adulterio crimen habetur; nec hic intercessio conjugis innocentis quidquam valet ad reum a poena liberandum. Olim in Gallia morte quoque multabatur polygamus. Verum cum non adit lex expressa morte damnans hujus criminis reum, ipse non nisi relegatione puniri, vel ad triremes damnari solet, in utraque manu colum tenens, ferreo collari ad infamem palum adstrictus c).

y) §. 6. *Inst. de Nuptiis.*

b) *Constitut. Crimin. Carol. V.*

z) L. 1. ff. *de his, qui notan. in fam.* L. 2. *Cod. de incest. nuptiis.*

Art. 121.

c) FERRIERE *Dict. de Droit*

a) L. 7. *Cod. de Jud. & Caliculis.*

Art. *Polygamie.*

§. XXXIII.

Nuptiarum porro impedimentum non minus grave est, *consanguinitas aut affinitas.* Quaestio autem haec satis gravis est, & non raro magnis motibus agitata. *Nam causae certae ac naturales, cur talia conjugia, uti legibus aut moribus vetantur, illicita sint, assignare qui voluerit, experiendo discet, quam id sit difficile, imo praestari non possit,* inquit GROTIVS d). Naturalis tamen ille, & omnibus infusus, horror carnalis parentes inter ac liberos conjunctionis, prohibentis naturae indicium satis apertum videri potest. Quod enim sensus intimus & ineluctabilis omnes docet, quod universe, paucissimis exceptis, tenent ac semper tenere gentes, quod a barbaris & omnis religionis experi-



bus populis maxima pietate observatur, quod demum in quibusdam animantibus pudoris ergo animadvertitur, id non nisi naturæ loquenti tribuendum. Filialem præterea submissionem & obsequium per copulam carnalem valde debilitari, imo destrui quis non videt? omnium nempe prima, omnium sanctior est patria potestas; omnes cumula dignitates, prærogativas omnes, opes junge & titulos, nihil ex his tantam exigit reverentiam, quantam a liberis in parentes exigit natura.

d) de Jure Belli ☞ Pacis L. 2. Cap. 5. §. 12.

§. XXXIV.

Quæstio sequitur de gradibus affinitatis & sanguinis ex transverso limite, imprimis vero de connubio fratrum & fororum, quod Deus ipse quodammodo approbavit, statuens non aliter quam hac via propagari conditum ab ipso genus humanum. Juri ergo naturali directe quidem non repugnat hæc conjunctio; tanta tamen ejus sunt incommoda, ut sustineri non possit; castas enim oportet esse domos. Jam vero si connubium inter fratrem & sororem procedere posset, nuptiarum spe adducta, & opportunitate loci adjecta in omne nefas, & flagitium facile rueret impulsæ libido; quam rationem si ponderare velis, omnium fere, quæ in *Levitico* c. 18. continentur, prohibitionum causam habebis; magis enim ob verecundiam & pudorem atque ad corruptelam morum fugandam, quam ob rationem quandam mere naturalem matrimonia inter propiores e latere cognatos ibidem interdicta sunt.

§. XXXV.

Recte ergo Christiani prohibitiones has observant, qui tamen easdem ulterius etiam protenderunt. Jure quidem civili secundus in linea obliqua æquali gradus semper est prohibitus; quartus permissus; in inæquali tertius semper



prohibitus, quartus & reliqui tantum inter eas personas, quæ sibi invicem parentum & liberorum loco sunt. Idem fere in affinitate obtinet. Jure enim civili ultra secundum gradum lineæ obliquæ, nullæ observantur prohibitiones, nisi adsit respectus parentelæ. At Jus canonicum non modo prohibet quartum gradum suæ computationis, in linea etiam æquali e); sed præterea tria constituit affinitatis genera f), quorum primum unis, alterum binis, tertium ternis nuptiis contrahitur. Verum hæc duo posteriora affinitatis genera Jure Canonico recentiore nuptias non impediunt. Cæteræ autem ejusdem Juris dispositiones plenissimum hodieque robur obtinent.

e) Cap. ult. X. de Consanguin. f) C. ult. causa 35. quæst. 3.

§. XXXVI.

Sufficiant hæc de consanguinitate & affinitate; percurramus reliqua tum ab Ecclesia tum à Principibus constituta matrimonii impedimenta. Ut autem breviori via id assequamur, hisce inhæreamus versiculis, qui singula quindecim ordine exponunt impedimenta :

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas; vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus & impos,
Si mulier sit raptæ, loco nec reddita tuto,
Hæc socianda vetant, connubia facta retractant.*

De impotentia, de ligamine, cognatione & affinitate superius actum; hoc saltem nunc notantes, quod supra omissum, Jure nempe Canonico dari cognationem quandam spirituales, & aliam Jure Romano, quæ civilis dicitur. Hæc nostris temporibus vix usitata nuptias non impedit; illa ad septimum usque gradum nuptias olim prohibebat, post vero per Concilium Tridentinum prohibitio hæc ad secundum fuit restricta.



§. XXXVII.

Error, conditio, vis ideo inter impedimenta matrimonii computantur, quia libertatem consensus omnino coarctant. Quantum vero consensus matrimonio essentialis sit, supra jam vidimus. Quæcumque ergo consensum penitus excludunt, illa matrimonium irritant. Error circa personam, circa conditionem, si per eam intelligatur status servitutis *g)*, vel hodie alius quispiam ita infimus & contemptibilis, ut nullam cum alterutrius contrahentium statu proportionem habeat, rumpit matrimonium. Non æque error qualitatis, fortunæ, aut nominis *h)*, quia per eum non tollitur substantia consensus in primum matrimonii objectum, quod est persona.

g) Cap. 4. X. de Conjug. Servor. Nihil facit Error nominum, cum
h) L. 9. ff. de contrab. Empt. de corpore conjat.

§. XXXVIII.

Propter ejusdem consensus defectum vis absoluta, quæ est coactio omnimoda & corporalis illata personæ reluctanti, ipso Jure invalidat matrimonium. Idem dicendum de metu gravi injuste ad extorquendum consensum incusso. Porro cum impedimenta hæc non Jure solum Ecclesiastico, verum etiam Naturali nitantur, ab Ecclesia nullo modo relaxari possunt. Tale est etiam impedimentum amentię; quod præsertim, si amens nulla dilucida habeat rationis intervalla, peremptorium est ad irritandas nuptias, & nullatenus dispensabile. Porro de impedimentis Voti & Ordinis agens conjunctim ea accipiam, & apposite quidem, cum non alii hodie ad sacros admittantur ordines, nisi continentiam voventes. Duplex autem distinguitur castitatis votum; solemne aliud, aliud minus solemne, seu simplex. Utriusque effectus est, ut fides semel Deo data servetur, & sane,

sane, si nequidem liceat, datam homini fidem infringere, quanto magis quæ DEO OPTIMO MAXIMO data est, integra servari debet. Hinc & apud CICERONEM, Virum paganum, Lex est i): *Vota sancte reddunt.* Discrepat tamen utrumque votum, quod unum sit impedimentum dirimens, alterum impediens duntaxat. Porro cum ea quæ in priori voto occurrit solemnitas, nonnisi Juris sit Ecclesiastici, dispensari in eo potest, imo & potest Summus Pontifex, iusta aliqua suadente ratione votum illud in quodlibet aliud commutare, quod præsumit gratius fore Supremo Numini k); id tamen non conceditur, nisi ob causas admodum graves, ut sunt bonum totius regni, regniæ præfatiæ continuatio &c.

i) Lib. 2. de Leg.

k) Vid. ea de re Tit. X. de Voto & Voti redemptione.

§. XXXIX.

Porro de *disparitate cultus* pauca notanda. Hic dispar religio non est ea, quæ reperitur inter fidelem & hæreticum, sed ea duntaxat, quæ inter fidelem & infidelem, id est quæ generatim baptizatum inter & non baptizatum intercedit. Ejusmodi matrimonia Jure Ecclesiastico invalida esse consentiunt omnes, ac potissimum ideo prohiberi, quia tranquillo veræ religionis exercitio, & christianæ proli educationi adversantur. Aliud porro impedimentum est publicæ honestatis, affinitas scilicet seu propinquitas apparens certas inter personas orta, sive ex matrimonio solum rato, sive ex sponsalibus, quæ, ut hunc effectum producant, debent esse valida, absoluta, publica.

Ita quoque matrimonium irritat *crimen*, aut si mulier sit *raptæ loco non reddita tuto*. Per crimen hic illud intelligitur, quod nascitur ex adulterio cum promissione matrimonii aut cæde conjugis innocentis conjuncto l). Aliter hic statuit Jus Rom. m) adulterum inter & adulteram con-

tractas omnino reprobans nuptias, etiamsi nec ulla data fuerit fides futuri matrimonii, nec adulter uxoris, vel adultera mariti vitæ insidias intruxerit. Non minus severe hoc Jure prohibentur nuptiæ raptorem inter & raptam ⁿ⁾ in itæ, quas tamen sustinet Ecclesia: *Si nempe rapti a raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta raptorem in virum habere consenserit o)*. Quamdiu autem rapti in potestate raptoris est, raptorem inter & raptam nullum consistere posse matrimonium decernit sancta Synod. Trid. Est autem raptus crimen, quo fœmina e loco tuto extrahitur & transfertur in locum, ubi raptoris potestati subest, idque libidinis explendæ, vel matrimonii contrahendi causa. Fieri id potest duobus modis, vel per violentiam, quando mulier resistens per vim abducitur, vel per seductionem, quando mulier blanditiis, persuasionebus, aut quocunque alio modo seducta, invitis iis, sub quorum potestate est, raptorem volens sequitur. Raptum violentiæ impedimentum esse dirimens nemo diffitetur. Passim autem contra Gallos negant extranei ita etiam rem se habere circa raptum seductionis; sed Gallorum sententia & magis honori consulit matrimonii, & melius Trid. Concilii mentem assequi videtur. Morte vero plectuntur, qui hac in re Regias infregerunt Leges ^{p)}.

l) Cap. 6. X. de eo, qui duxit in matrimon. quam per adult. pollut.

m) L. 26. ff. de Ritu Nupt.

n) L. un. §. 1. Cod. de rapt. Virg. & Novell. 134. Cap. 12.

o) Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 6. de Reform. Matr.

p) Ordonn. de Blois Art. 42. & 43. Edit de Louis XIII. de Mars. 1629. & de Novembre de la même année.

§. XL.

Huc usque de impedimentis dirimentibus, quæ faciunt ne matrimonium valide contrahatur, & quibus obstantibus nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec dos intelliguntur.




tur q). Alia denique sunt, quæ non quidem dirimunt matrimonium, sed impediunt, ne licite contrahatur, & vocantur impediencia, atque hocce exprimuntur versiculo:

Ecclesia vetitum, feria, sponsalia, votum.

Verum cum ejusmodi impedimenta substantiam matrimonii non vitient, iis discutiendis non immoramur, sed Dissertationi nostræ imponimus finem.

Pauca hæc sunt, Benevole Lector, quæ de Matrimonio exaravi. Plura prætermisi, quæ hic sane discutienda fuissent; sed vastissimam de nuptiis materiam exhaurire supra vires meas esse apprime teneo; unde etiam non aliam mens mihi fuit, quam compendiose, quæ nuptiis magis essentialia sunt, exponere. Si quæ autem minus apposite dicta appareant, benigne penuriam temporis ad id mihi concessi, difficultatemque ac vastitatem materiæ pensâ, & facile ad indulgentiam provocabitur animus. Miraberis forte, ne hoc taceam, de matrimonio egisse Clericum, qui tamen ratione sui status huic renunciare debet; sed advertite, nonne & ad Jurisdictionem Ecclesiasticam pertinent nuptiæ? nonne de iis maxime agit Jus Canonicum, quod & Clericorum scientia est? ignoratne quispiam nostrum rem sanctam & Dei institutione præclaram esse matrimonium? Theologum certe non minus ac quemlibet alium in republica virum differere decet de matrimonio, per ipsum quippe tam magnifice divina Christi cum Ecclesia figuratur unio. Ne cavilleris itaque nec risu amaro defendentem laceffas, sed ipsius potius faveto conatibus. Vale!

q) §. 12. *Inst. de Nupt.*





Strapburg, Diss., 1760-75



f

sb.





Q. D. B. P. 131.
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE 1768 1st
MATRIMONIO
SECUNDUM
JUS NATURALE,
CANONICUM & CIVILE,
QUAM 14
DEO TRIUNO PRÆSIDE,
EX DECRETO
ILLUSTRIS JCTORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE ARGENTORATENSI
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES
AC PRIVILEGIÀ DOCTORALIA
RITE CAPESSENDI

SOLEMNI ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT
PETRUS FELIX ANT. GERARD,
COLMARIENSIS,
SS. THEOLOGIE LICENTIATUS, INSIGNIS ECCLESIE COLLEGIATÆ
AD S. MARIAM TABERNIS CANONICUS,
AD DIEM IX. SEPT. MDCCLXVIII.

H. L. Q. C.

Argentorati, Typis JOH. HENRICI HEITZII Universitatis Typographi.

